

www.e-rara.ch

Specimen universae rei nummariae antiquae /

Morell, Andreas

Parisiis, 1683

Münzkabinett Winterthur

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-146288>

Tabula decimaquinta.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

REI NUMM. ANTIQUÆ. 121

Nummis adjungam brevissimas explica-
tiones, & emendatam tabulam geographi-
cam, descriptiones Urbium, & Indices ne-
cessarios.

Oportuisset quidem hîc exhibere rariora
quædam capita Regum, & singulares aliquot
nummos; sed quia sequens tabula jam æri
incisa ad manus erat, eam subjicio, quia
nummos continet raritate præstantes, Par-
thicum insuper & Arabicum, qui Speciminis
loco inservire possunt.

TABULA DECIMAQUINTA.

Primus tabellæ nummus Cyzicum Eu-
fori filium, & Insulæ Propontidis Re-
gem exhibet. Hic Argonautas hospitio liberali
cùm excepisset, illi ab eo discessi totum diem
cùm navigâssent, nocturnâ tempestate ortâ
ad eandem Insulam ignari delati sunt. Quos
Cyzicus hostes Pelasgicos esse arbitratus, cum
iis noctu in littore arma contulit, sed à Ja-
sone interfectus occubuit: postero die cùm
prope littus appropinquâssent Jason, & vidis-
set se Regem interfecisse, sepulturæ eum tra-
didit, atque filiis regnum.

Ab aversâ parte Mercurius cernitur, vel
idem Cyzicus, sub ejus figura, cum hac epi-
graphie ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ,
Cyzicorum Neocorum. Nummus extat in

ditissimo Thesauro, quem ex omni metallo & magnitudine collegit Sereniff. Ver-nolii Dux.

Secundus tabellæ nummus singularis est raritatis, quem Cl. *Vaillant* Romæ reperit, & Thesauro Regio postea addidit: Jubam juniorem, Jubæ à Cæsare debellati filium, representat, quem Cæsar adhuc puerum Romæ in triumpho duxit. Fortunatam ejus prædicat captivitatem Plutarchus, quia ex barbaris Numidis inter eruditissimos Historicos recensetur. De hoc Tacitus Ann. l. 4. *Mauros Iuba Rex acceperat, donum Populi Romani.* In uxorem duxit Cleopatram, M. Antonii ex Cleopatrá Ægypti Reginâ filiam, cujus effigiem aversa nummi pars ostendit: credo legendum esse ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ, quia literarum vestigia supersunt, sed ex hoc nummo minùs integro nihil concludendum. Præstantissimum possidet Gaza Regia nummum argenteum maximi moduli, in quo Cleopatra mater, ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ vocatur, *Dea recentior.* Luna nempe, quemadmodum postea Cleopatra ejus filia & Jubæ uxor, vocata fuit: hinc Suetonius de Caligula: *Ptolomæum Regis Iuba filium consobrinum suum (erat enim & is M. Antonii ex Selena filia nepos) & imprimis ipsum Macronem & c.*

Tertius tabellæ nummus molè & elegantia præstantissimus asservatur in Gaza Illustris-

REI MUMM. ANTIQUÆ. 123

simi Achillis Harlæi: augustos Arfacidarum titulos continet: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ, ΑΡΣΑΚΟΥ, ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, ΔΙΚΑΙΟΥ, ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, id est, *Regis Regum Arfacis, Benefici, Iusti, Illustri, Græcorum amici vel studiosi*. Regis Regum appellatio à Persis ad Parthorum Reges translata fuit: EVERGETIS & ΕΠΙΦΑΝΙΣ cognomina Arfacidæ, ut videtur, à Lagidis & Seleucidis mutuati sunt. PHILELLENIS verò titulum ideo usurpâsse credendum ad demerendos sibi Græcos Asiaticos Syriæ, Mesopotamiæ ac reliquos illius tractus Parthici viciniore, qui Græcorum Colonis & linguâ passim florebant. Plura vide apud Ez. Spanhem. Diff. pag. 424. & seqq. & apud Tristanum in Severo. Quamplurimos alios delineavi nummos Parthicos, cum & absque inscriptionibus, quos in majori opere nostro videre licebit.

Quartus nummus Arabicus est, & acerrimi Christianorum hostis Salaho'ddini effigiem exhibet, ut & alteram Almalec Alsaleh Ismaëlis, filii Nuroddini & undecim annorum pueri, cui obsequium præstiterunt homines in Syria, & Salaho'ddinus Ægyptum tenens, ubi & pro eo in suggestis oratum, & nomine ejus cusa moneta, ut refert Pocokius. Salaho'ddinus A. C. 1177. Hierosolymam cepit, & tantâ Christianos affecit clade, ut 1188. contra

eum ex decreto Concilii Parisiensis decimæ Saladinæ institutæ & omnium omnibus bonis impositæ fuerint.

Nummum hunc cum aliis quamplurimis ejusdem generis mihi interpretatus est Dn. Johannes Damascenus: literæ à parte capitum non distinctæ sunt, ille tamen legit, *Ioseph filius Iob*, quod nomen erat Salaho'ddini, & ab altera parte *Rex Imperator Princeps fidelium*.

Ad sexaginta usque nummos Arabicos reperi in ditissimo Thesauro ædium Divæ Genovesæ, quos ex æternâ laude digni Peiref-kii collectione comparavit Rev. P. Claudius *du Molinet*, Canonicus Regularis, Vir humanitate & doctrinâ clarissimus, cui non sufficiebat aliquot millium nummorum rarissimorum, omnem delineandi libertatem mihi concedere, & instructissimæ Gazæ insignem antiquitatis supellectilem communicare, sed majore usus benevolentîâ, aditum insuper paravit ad ingentes Thesauros Primatum quorundam, pro quibus beneficiis publicas gratias agere volui, debuique.

TABULA DECIMA-SEXTA.

Primus tabellæ nummus ΚΤΙΣΤΗΝ ΤΟΜΟΝ, *Conditorem Tomum*, exhibet. Tomi à Plinio inter pulcherrimas urbes recensentur,